Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26105
Copyright: Admont, Benediktinerstift



impiorum erit laudatio. In benedictione iustorum exaltabitur ciuitas: et ore
impiorum subuertetur. Qui despicit amicum suum indigens corde est: uir
autem prudens tacebit. Qui ambulat fraudulenter reuelat archana:
qui autem fidelis est animi celat commissum. Vbi non est gubernatores populus
corruit: salus autem ubi multa consilia. Affligetur malo qui fidem facit
pro extraneo: qui autem cauet laqueos securus erit. Mulier gratiosa inue
nit gloriam: et robusti habebunt diuitias. Bene facit anime sue uir
misericors: qui autem crudelis est et propinquos abicit. Impi facit opus
instabile: seminanti autem iustitiam merces fidelis. Clementia pparat
uitam: et sectatio malorum mortem. Abhominatio domino est prauum cor: et uo
luntas eorum his qui simpliciter ambulant. Manus in manu non erit innocens
malus: semen autem iustorum saluabitur. Torculus aureus in naribus
suis: mulier pulchra et fatua. Desiderium iustorum omne bonum est: p
stolatio impiorum furor. Alii diuidunt ppa et ditiores fiunt: alii rapi
unt non sua et semper in egestate sunt. Anima que benedicit impinguabitur:
et qui inebriat ipse quoque inebriabitur. Qui abscondit frumenta maledicetur
populis: benedictio autem super caput uendentium. Bene consurgit diluculo
qui querit bona: qui autem inuestigator est malorum oppimetur abeis. Qui con
fidit in diuitiis suis corruet: iusti autem quasi uirens folium germina
bunt. Qui conturbat domum suam possidebit uentos: et qui stultus est ser
uiet sapienti. Fructus iusti lignum uite: et qui suscipit animas sapi
ens est. Si iustus in terra recipit: quanto magis impius et peccator.
Qui diligit disciplinam diligit scientiam: qui autem odit increpationes in
sipiens est. Qui bonus est hauriet gratiam a domino: qui autem confidit in cogi
tationibus suis impie agit. Non roborabitur homo ex impietate: et radix
iustorum non commouebitur. Mulier diligens corona est uiro suo: et putredo
ossibus eius que confusione res dignas gerit. Cogitationes iustorum iudi
cia: et consilia impiorum fraudulenta. Verba impiorum insidiantur sanguini: